

menti, exsurgit corollarium maximi momenti circa relationem matrimonii cum potestate politica :

Matrimonium, exceptis effectibus mere civilibus, potestati civili non subditur (1).

Etenim 1^o sacramenta nullo modo subjiciuntur potestati civili, ut suo loco probabimus : ergo matrimonium huic potestati non est subiectum. 2^o Societas civilis subaudit societatem domesticam, et a fortiori personalitatem humana, subaudit etiam religionem, quæ essentialis est homini in quantum est homo, idque hæc omnia immutare nequit. Atqui matrimonium est fundamentum societatis domesticæ, quedam integratio personalitatis humane, ac denique res sacra. Ergo, etiam ut contractus mere naturalis, potestati civili subjici nequit.

II. De proprietatibus matrimonii.

207. — I. *De unitate*. Unitati matrimonii opponitur tum *polyandria*, seu simultanea conjugatio unius feminæ cum pluribus viris, tum *polygania*, quæ, ut ex ipsis vocibus liquet, habetur dum vir plures uxores simul sibi jungit : tunc dicitur polygania *simultanea* ; nam quando vir alteram uxorem, priore mortua, ducit, id bigamia etiam appellari solet in jure, et hæc bigamia dicitur *successiva*.

208. — Thesis. *Polyandria juri naturali adversatur*.

Prob. Polyandria fini adæquato matrimonii (200) adversatur, et tollit aequalitatem contractus. Ergo juri naturali repugnat. *Prob. antecedens.* 1^o Preterquam quod prolis susceptionem plus minusve impedit, ut patet in meretricibus, sustentationi et educationi prolis susceptio certo adversatur; patrem enim reddit in certum, ideoque officium educanda prolis nulli incumbet; imo et pietatem natorum erga patrem solvit; 2^o adversatur mutuo auxilio quod conjuges sibi prestare dudent, et caput societas conjugalis veluti invertit; 3^o non remanet aequalitas inter datum et acceptum; ex parte viri jus integrum in corpus traditur, non ita ex parte mulieris. Ergo...

(1) Syll. Prop. LXXXVIII.

209. — Thesis II. *Polygania, nisi forsan juri naturali non absolute repugnet, certo ipsi parum consonat*.

Probabiliter 1^o *Polygamiam parum consonare*, nam 1^o tollit aequalitatem contractus, siue polyandria, et multum amorem relaxat; 2^o cohabitatio pacifice repugnat: plures uxores ob zelotypiam, sollicitudinem propriæ proli, etc., nec inter se nec eum marito concorditer remaneant possent.

2^o *Dubium* est an hæc uxorum pluritas *juri naturali prohibita sit*; affirmant multi auctores, inter quos Bellarminus, Menochius, etc., propter rationes superius adductas. Negant alii, uti Cajetanus, Medina, Gonzalez, etc., hisce rationibus innixi : 1^o complures gentes legali permissione polygamiam approbarunt; porro credibili non est multis gentes juris naturalis cognitione destitutas fuisse; 2^o quia non repugnat fini adæquato matrimonii, nempe proli generationi, ejus educationi et tranquilla conjugum cohabitationi : quod hunc finem caveri possunt odis, discordie, iniquint hi auctores, plures uxores a se invicem, quoad habitationem, separando.

« Teneenda videtur, ait Schmalzgrueber (1), sententia inter utramque media, et dicendum uxorum pluralitatem adversari quidem juri naturæ, non tamen ita ut eam excludat ipsa matrimonii natura et essentia, sed constitutio ejusdem in ipso mundi exordio facta a Deo, qua unanimant uni conjunctio. »

210. — II. *De indissolubilitate*. Matrimonium, *ex parte subjecti*, dividit potest in matrimonium inter infideles et inter christianos, *ex parte sui* in legitimum, ratum et consummatum : *legitimum* dicitur illud quod non est sacramentum, sed inter infideles contrahitur, *ratum* quod inter fidèles initur, et est verum sacramentum, sed non consummatum, denique *consummatum* quod est ratum et corporaliter consummatum.

211. — Thesis. I. *Indissolubilitatem matrimonii, validè contracti, petit nolio societatis conjugalis*.

Nota. Non convenient auctores, dum querunt a quo

(1) L. IV, pars 2, t. 4.

jure descendat indissolubilitas matrimonii : aliqui illam adseribunt soli juri naturali, alii juri soli divino positivo, quidam utriusque; nonnulli distinguunt, et matrimonii consummati indissolubilitatem tribuant juri naturali et divino positivo, rati autem refundunt in ius ecclesiasticum. Extra illas controversias quæstionem possumus.

Probatur. Societas conjugalis ex sua natura exigit mutuum amorem conjugum, et tendit ad procreationem rectamque educationem prolis. Atqui ad hæc perpetuas et indissolubilitatis matrimonii plurimum confert; nam simplex cogitatio separationis possibilis et obventre, amorem, mutuum bonorum communicationem, etc., labefaciat. Ergo.

Præterea non remanerent aequalitas contractus : mulieris enim privilegio virginitatis orbata pars longe deterior foret ad novas nuptias ineundas. Ergo matrimonii indissolubilitas fundari videtur aliquo modo in iure naturæ.

212. — *Scholium.* Sub lege evangelica, que matrimonium evoxit ad dignitatem sacramenti, unionem Christi cum Ecclesia significans, coniubia saitem consummata, ex nulla causa rescindi possunt quadam vineculum : iure divino positivo sunt indissolubilia. Diximus *consummato*, nam docent canonistæ matrimonium ratum dispensatione summi pontificis ita dissolvi posse, ut deinde utriusque conjugi aliud matrimonium impinge liceat. Ratione enim *contractus*, non sunt omnino indissolubilia, ut patet ex matrimonii infidelium ; sed pontifex potest attingere contractum, ideoque indirectere sacramentum : « Ratione sacramenti et significationis sua non videntur prorsus indissolubilia : significant enim conjunctionem Christi per caritatem cum anima justa, quæ conjunctio solvi potest (1). »

213. — *THESS II.* Attamen divortium imperfectum, seu quod solam cohabitationem, lictum esse potest.

Nota. Divortium dividitur in perfectum et imperfectum, prout abrumpit aut ipsum vineulum aut solam legem cohabitationis manente vinculo.

Probatur. Etsi notio societatis conjugalis indissolubili-

(1) Schmalzgruber, loco cit.

tatem matrimonii petat, tamen id non necessario importat cohabitationem : coabitatio enim habetur ut medium facilius exhibendi mutuanam dilectionem, et sibi invicem praestandi mutua officia. Atqui accidere potest 1º ut mutuus amor per hanc cohabitationem non modo defervescat, sed in apertum odium convertatur ; quamobrem lex dilectionis mutuae aliquam temporaneam conjugum separacionem poscit, ut pristinus amor redintegretur ; 2º mutua officia aliquando ab una parte laeduntur, ut non modo altera nullam opem ex suo coniuge reportet, sed ipsi vita consulere non possit nisi per fugam. Ergo accidere possunt circumstantie in quibus licita erit separatio quoad torum et habitationem.

III. De conditionibus matrimonii.

214. — Ad matrimonium rite contrahendum requiritur ut persone sint habiles ad illum contractum, seu ut fines matrimonii consequi et officia ex matrimonio enata praestare valeant. Itaque opus est :

1º Ut conjuges *statem* idoneam habeant, scilicet aptam corporis et mentis evolutionem respectu prolis suscipienda et educanda. Quod corporis evolutionem ad matrimonium contrahendum, requiritur pubertas ; nam impuberes nequeunt tradere potestatem in proprium corpus, que traditio est objectum conjugij. Verumtamen lex naturæ matrimonia ejusmodi non irritat, quia consummatio non est de essentia matrimonii, et ceteroquin impuberes statem idoneam exspectare possunt ad iura matrimonialia exercenda et ad mutua officia praestanda. Præterea ad illam mutuanam conjugum dilectionem (202), que est quasi fondamentum matrimonii, requiritur ut conjuges non nimis satatis differantia inter se discrepant.

2º Iterum quod corporis perfectionem requiritur idoneitas ad finem primarium matrimonii attingendum, unde *impotentia* antecedens et perpetua invalidat contractum matrimonii, quia ad impossible nemo se obligare potest (188, 49).

3º Jus naturæ etiam inculcat *disparitatem* cultus graviter opponi matrimonio : si fidelis matrimonium con-

traheret cum infideli, se injiceret in periculum prævaricationis aut in impossibilitatem rite educandi prolem, præterquam quod haec disparitas innumeris discordis ansam preberet. Tamen haec matrimonia, eti jure naturæ sint illicita, nonni solo jure ecclesiastico sunt irrita.

4º Consanguinitas etiam jure nature matrimonio opponitur. Consanguinitas enim est quasi *sanguinis unitas*, quippe qui consanguinei sunt ab eodem communi sanguine descendunt. Jam vero relations et officia conjugum inter se cum officiis et relationibus parentam ad liberos, et viceversa, componi nequeunt, ideoque jure naturæ omnino vetantur conjugia inter parentes et liberos. Id enim etiam ostendit naturalis instinctus, non solum omnium gentium bene institutum, sed etiam belluarum non parvarum, que ab ejusmodi conjunctione abhorrent, ut testantur Aristoteles (1) et Plinius (2).

Affinitas etiam graviter opponitur matrimonio contrahendo, præsertim in primo gradu linea recta, v. g. inter sacerorum et nurum, inter sacerdotem et generum, vitricum et privignam, etc. Docet S. Thomas (3), cum multis aliis anterioribus, jure naturali haec matrimonia non modo relata, sed irrita esse, quia inter illos affines eadem relata, habentur quibus ipsi consanguinei vincuntur.

5º Ex dictis de polyandria constat *ligamen* esse impedimentum ad novum matrimonium ineundum; est enim vineulum quo unus coniux alteri sic alligatur, ut eo vinculo durante, cum nullo alio contrahere matrimonium possit: non posset tradere jus quod non habet in proprium corpus.

6º Denique matrimonio, vi suo naturæ, exquirit ut *libere ineat*, et cum *mutuo conjugum consensu*. Etenim est contractus, et quidem bilateralis, qui mutuum consensum contrahentium exquirit: unde huic contractui, sicut aliis omnibus, opponitur vis, seu violentia ad junctionem cogens. Inde *raptus* seu violentia feminæ abductio, aut etiam maris, de loco in locum, matrimonii ineundi causa,

(1) L. ix, hist. anc., c. 47.

(2) Hist. nat., I. viii, c. 42.

(3) In I Cor. 5, v. 4.

matrimonium dirimit, et quidem jure naturali, si raptus vel raptus non consentit. Ita et *error* personæ cum quis scilicet judicat personam qualcum matrimonium contrahit, esse aliam quam sit a parte rei, v. g., esse Rachelum cum sit Lia, — dirimit matrimonium: hic error tollit consensum iuri naturali requisitum ad essentiam contractus matrimonialis. Adde quod omnia haec conciliari nequeunt cum mutua dilectione, ut per se patet.

215. — Si de matrimonio jam inito loqueremur, ex ipsa natura matrimonii resultat:

1º Mutuam fidem laedi non posse tum factis, tum etiam affectu, quia haec fides conjugalis est ipsum datum et acceptum in contractu indissolubili nuptiarum;

2º Supremam potestatem generativam in viro residere; in familia caput reperiri necesse est, quia unitas in principio uno fundari debet; porro sensus communis, physiologia et psychologia ostendunt virum superiorem esse mulierem:

1º structura corporis est validior, membra firmiora, etc., in homine; *2º* vires animi, ut prudentia, voluntatis constans, etc., in viris excellenter modo evoluntur, ut ex facto liquet; *3º* apud omnes gentes, vir in familia mulieri praest. Verumtamen eti unitas regiminis in societate domestica repeti debeat a viro, non inde sequitur virum imperio despoticó potiri in mulierem: nam propter communem relationem ad liberos fit ut familia administratio ex communi consensu peragi debeat, sicut vir ad se quodam modo rapiens iura matris in liberos, iura haec quantum posset, destrueret.

§ II. De societate paterna.

216. — Ex societate conjugali oritur societas paternalis. Et enim *1º* nativa imbecillitas prolixie recens nata operam et laborem parentum dia exquirit, sine quibus humanus fetus interiret, cuius indigentia diuturnior est quam in aliis animalibus; *2º* contractus conjugalis non modo ad generandam, sed etiam ad educandam, seu ad conservandam, alienam, etc., prolem destinatur; *3º* Deus ipso in coparentum indidit illum naturalem amorem pro liberis, seu quendam stimulum naturæ ad subveniendum proli;

inde parentes qui officiorum naturae erga liberos oblitii fuerint, inhumani, omnis sensus expertes, appellari solent. Societas illa definiri potest: *Coniunctio plurium personarum, quae per ipsam naturam, educationis gratia initur.*

In hae societate duo sunt consideranda: 1^o relationes parentum ad liberos, quae relationes iuribus et officiis coalescent; 2^o relationes prolis ad parentes.

1. De potestate paterna et officiis parentum.

217. — I. *Finis societatis paternalis: 1^o De iis quibus generali nature obligatione adstricti sunt parentes.* Imbecillitas prolis humanae afficit corpus et vitam corporalem, animum animique facultates, quamobrem 1^o parentes temporalem filii curam exhibere tenentur tum ab ipsis corporale detrimentum avertendo, tum ad vitam necessaria suppeditando. Parentes enim qui haec proli non praestarent, peiores feris evaderent, que factus suos nutrissent, et qua omni possunt ope ab extraneis insultationibus tuerent. 2^o Ad animam quod attinet, parentes debent officia naturae rationalis propriis docere liberos, exemplo non minus quam exhortationibus. Illud munus alius committere possunt; sed nemo potest hanc potestatem reluctantibus parentibus, sibi vindicare sine violenta lassione juris paterni. Itaque.

218. — *THESIS. Societas curare debet ut publica media non desint educandi pueros; sed educationem parentum voluntati contrariam pro liberis imponere neguit.*

1^{am} partem probabimus dum recensemus officia societatis.

Probatur 2^o pars. I. Jure naturali parentes jus et officium habent educandi prolem. Ergo societas civilis, quae sibi unice vindicaret educationem juvenitatis, jus et ordinem nature evidenter laderet.

Probatur II. Societas, quae familiis constat, ac proinde jus paternum constitutum subaudit, nequit illud jus subverttere quin ordinem naturae pervertat: societas quae essentialiter societatis paternae constitutionem destrueret, suimetipsi vitalia elementa pessum dare, et violenter

raperet jus *praexistens* et *prævalens*: civitas enim est pro familiis, non autem familiæ sunt pro civitate. Alqui societas quæ, reluctantibus parentibus, educationem legalem decernit pro juventute, jus paternum violat, et constitutionem familie pervertit: 1^o jus paternum violat, ut per se patet; 2^o constitutionem familie immutat: liberi enim, vi familiæ, societati conjuguntur, siquidem vivunt sub patria potestate; sed dum societas eosdem arripit, ex facto affirmat illos non tam ad familiam pertinere quam ad statum; immo societatem immediate non constare familiæ, sed hominibus ab omni alio vinculo subjectionis soluti, ex facto decerneret. Ergo id manifeste jura paterna laedit, societatem domesticam destruit, quæ sie legaliter non existet.

219. — *Scholium.* Verumtamen societas modis decentibus, sed non violentis, curare debet ut parentes illud summum officium educandi prolem minime negligant. Praeterea quam crescent paulatim liberorum astate, parentum potestas minatur, et libertatis naturalis iura in liberis veluti explicare sese atque exercere incipiunt, fit ut directe et per se homo individus societati conjugantur, jura et privilegia civis proprii acquirat, ac proinde potestati civili immediate subjeccat.

220. — II. *Potestatis paternæ amplitudo*, ex fine et ex origine metienda est. Societas paternalis ejusque finis, qui in congrua educatione prolis cernitur, ex ipsis generatione oritur; itaque *generatio* causa remota potestatis paternæ censeri potest; sed finis et jus parentum regendi familiam, mensuram hujus potestatis determinant. Natura hanc societatem proxime constituit, quæ proinde nec fine nec mediis necessariis ad finem obtinendum carere debet.

Potestas illa per quamdam analogiam cum potestate publica, censeri potest *inspectoria, rectoria* et *executoria* (1).

1^o Parentes vigil oculo debent liberos observare, eorum consuetudines, familiaritates explorare, pericula areca, etc.

2^o Possunt actiones prolis determinare, eam docere

(1) Zallinger, *Jus sociale*, I. n. c. 4.

debet officia hominis orga Deum, erga proximum et erga semetipsum, seu viam honestatis liberis ostendere tenentur.

3º Potestate executoria et speciatim coactiva non orabant parentes, quibus facultatem castigandi natura ipsa concedit, ut ad obedientium filios adlicant et perpicacem eorum voluntatem, si illa adsit, vi seu adhibitis virgis, frangant: educandi jus has facultates secum trahit, saltem in tenera aetate. Sed potestas castigandi jus vite et necis mirifice continet, quod solo Deo competit, et huic potestati publice que illud a Deo accepit. Apud cives romanos tanta erat potestas patria ut lex xii Tab. sic praecepit: « In liberos supraea patrum auctoritas esto: venundare, occidere licet, » quod a voce naturae abhorret.

II. De officiis liberorum.

221. — Liberorum in parentes, a quibus receperunt existentiam, nutrimentum et disciplinam, officia dictat etiam natura. Hec officia ad sequentia capita revocari possunt, nempe ad amorem, reverentiam et obsequium, denique ad obtinendandi studium.

1º Fili parentibus *amorem* debent: exigit enim natura ut eos sincere diligamus a quibus majoris momenti bona receperimus: sed bonis praestantissimi filios, quos genuerunt et impensis cura eruerunt, cumulati sunt parentes. Hic amor unico edere debet illi quem Deo debemus, cui existentiam acceptam longe melius referre debemus. Ex hac lege amoris ejusque fundamento sequitur liberos parentibus, si egeant, subvenire teneri tam in spiritualibus quam in corporalibus.

2º Fili parentibus *reverentiam* debent, tum interiore, quæ in quadam venerabundo animi timore consistit, tum exteriorum qua interior signis sensibilibus manifestatur; parentes enim superiores sunt iure naturæ filii.

3º *Obedientiam* debent in iis omnibus in quibus subsunt, quia parentes jus imperandi habent, cui necessarie respondet officium obediendi in liberis. Porro filii subsunt 1º in iis omnibus que ad bonos mores et salutem spectant, 2º in iis quæ se referunt ad regimen domesticum, ad

pacem, bona, decus familiæ, etc. Sed evidenter non subsunt in iis quæ preceptis divinis adversantur. Itaque in electione status clericalis vel religionis, liberi certo non subsunt.

Ad status vitæ electionem generatim quod attinet, parentum voluntati liberi non subsunt, quia hec electio ad educationem aut familiam non pertinet, sed personam ipsam eligentis et vitam ab eo in posterum ducentam respicit; etiamsi ageretur de aliqua arte vel professione, (utique non male nec indecora etiam respective), parentes neque cogero liberos: quando enim naturali quodam impetu quis in talenm artem propendet, haec ars illi multo melius succedit quam invisa: sequum est tamen ut a consilis et cohortationibus parentum non sine gravi causa se subducant filii.

§ III. De societate herili.

222. — Societas herilis originem habet ex institutione humana, non jussu nature, saltem proxime. Est societas *pactilia* qua communis utilitas gratia initur inter dominum et famulum; est contractus innominatus: *do ut facias*, ex parte heri, et *facio ut des*, ex parte famuli. Post multiplicationem generis humani et iuri proprietatis acquisitionem exorta est inæqualitas conditionum. Diversitas in viribus corporis, in industria, in sagacitate animi, parcimonia, etc., hanc inæqualitatem cito produxit: hinc nonnulli divites facti sunt, et alii agentes, qui subsidio divitium eggerunt, et operam eis oblocarunt ut ad vitam necessaria ab eis reciperent.

Ergo *remote* originem quoddammodo habet ex ipsa natura, a qua repeti debet diversitas ingenii, prudentiae, virium corporalium.

Est societas *inequalis* qua dominus et famulus inæquali prorsus iure sociantur: servus enim est domino obnoxius, et alii hujus utilitatem spectat. Verumtamen emolumendum communis familiæ, preter stipendum, accipit servus. *Finis* ergo hujus societatis est utilitas et commodum heri.

223. — *Officia domini*. Debet dominus famulos amare, instruere, corripere eorumque operam justo stipendo

remetiri : servi enim et domini eundem Patrem habent in ecclesiis, eamdem naturam eundemque finem ultimum; idcirco sunt fratres, imo dominus respectu famili vices patris naturalis gerit, ideoque etiam hoc titulo famulum diligere debet, ejus saluti prospicere, et consequenter eundem corrripe, limites juste et licite correptionis minime tamen transgrediendo.

Dignus est operaris mercede sua (Matt. 10), ac preinde peccant domini qui stipendium famulorum retinunt aut solvere differunt, qui recusant quod justum est.

224. — *Officia famulorum.* Dominis suis famuli debent obedientiam, reverentiam, obsequium, fidelitatem et opera de quibus paeti sunt. Hec omnia ex natura societatis herilis sponte efflorescent, in qua herus auctoritatem habet.

225. — *De servitute.* Prater communem famulatum, qui nostro aeo in usu est, aliud famulatus genus distinguitur, quod mancipia officiebat. Servitus restringi potest ad mancipium *operosum* dumtaxat, et quidem perpetuum: aliquis se suamque familiam perpetuo manciparet, quad opera tantum, minime vero quad omnia jura, et praesertim quad existentiam.

Aliud servitutis genus habetur in quo, non modo opera, sed omnia jura ipsaque existentiam mancipantur; est illud quod proprio dictu *servitus*: utraque potest esso *ultronea*, et si in ultimo casu pactum juri naturae, ut postea videbimus, aduersetur.

Origo servitutis proprie dictae repetenda est ex incrementibus inter homines bellis: mancipia enim, juxta vim nominis, idem est ac *manu capti*, dum *serui a servando* dicti sunt: mancipia, at Puffenderius, erant bello capti, quorum mors differebatur arbitrio vitorum, quo tempore istis placuerit exigenda. Haec servitus evidenter est *coacta*.

226. — *THESIS 1. Servitus in qua quis perpetuo se et totam suam familiam, pro tempore quo est sub potestate paterna, aliqui ultroneae manciparet, juri naturae absolute aduersari non videtur.*

Probatur. Illud pactum juri naturae aduersari enus objectum ab illo jure vetatur. Sed in illo contractu aliquid

istius modi non deprehenditur: opera enim alicujus hominis, et non alia jura, sunt objectum hujus pacti; sed homo est dominus suarum operarum. Ergo...

Verum si alienare vellet jura quorum liberam dispositionem non haberet, certo esset pactum illicitum.

Diximus: pro tempore quo familia remanet sub potestate paterna:

Nam si vi illius contractus, totius sue familias opera quis perpetuo manciparentur, aliquid juri naturae minus consummum certo inventretur: nam, ut constat ex dictis, pater potestatem in filios non perpetuo servat; quamobrem liberos suos si ligaret etiam pro illo tempore quo extra ejus potestatem fluit, jura filiorum lederet.

227. — *THESIS II. Servitus in qua quis omnia sua jura, ipsasque existentiam in bonum alterius permitteret, juri naturae manifeste repugnat, sive sit ultronea, sive coacta.*

Probatur. Quoad servitutem *ultroneam*. Nemo pacisci potest de iuribus quae non habet; sed homo in propriam vitam jus non habet, neque omnium suarum actionum liberam dispositionem: nequit enim sua officia erga Deum a se prout mittere, neque propria natura entis rationalis et liberi propriete fine spoliari. Ergo homo nequit alteri homini ita mancipari ut ex integro illi referatur, nulla retineat jura, et fiat res domini: homo nequit converti in rem.

Probatur 2^a Quoad servitutem *coactam*. Si violenti raptu homo in perfectam servitudinem redigeretur, nemo non videt quam atrocis est hec ratio agendi, et quantopere omnia officia erga proximum subverteret: omnibus enim iuris naturalis violationibus superius enumeratis, hic adiuratur flagitium immane contra humanitatem.

Si ex jure belli repeteretur origo similis servitutis, illud certo atrocitatem tanti facinoris non tolleret: et quod est intrinsecus malum, quod immutabili rerum ordinis contradicit, jure belli cohonestari nequit, quem illud jus unice fundetur in necessitate, que nunquam posuit ut, desidente pugna, leges justitiae et equitatis perpetuo violentur.

228. — *Scholium.* Religio christiana, quæ conceptum personalitatis humanae clarius manifestavit, paulatim servitutem e medio societatum vera fide imbutarum propulit. Servitus enim apud ethnicos grassabatur, et ita in profundum radices egit ut jurisperiti romani summam servitutis injustitiam vix cognoscere valuerint. Cum enim omnia iura hominum, omnemque dignitatem humanam ex jure civitatis tantum repeterent, certo nullum principium eis suspetebat ad videndum quam execranda res sit servitus proprie dicta.

CAPUT II

DE SOCIETATE CIVILI.

229. — Indigentia humanae per solam societatem domesticam non sati provisum esset; nam post familiarum multiplicationem, novæ domus noveque congregations exortæ sunt; porro necessarium inter novas et veteres familias exsurserit commercium quod ad normam aquitatis et communis utilitatis moderari debebat. Præterea ipsa persona humana per novas illas relations civitatis perfectiar et veluti amplificatur, ideoque societas civilis perfectibilitatem naturæ humanae apprime respondet.

Jam vero ut efficaciter ad unitatem socialem diversæ familie refigantur, non sufficit abstracta ratio boni communis ex facto sociali mutuandi, sed ad voluntatem et virium conjunctionem stabilem tuto obtinendam, requiriatur vis aliqua externa ad unitatem realem redigens varias familias seu, alias verbis, imperium, quod est veluti forma constitutiva unitatis socialis. Itaque præsens caput in duos articulos distribuimus quorum primus erit de societate civili in se spectata, alter de supra dicta huic societatis potestate speciatim inspecta.

ARTICULUS I.

De societate civili generatim inspecta.

230. — Considerabimus originem, finem et intimam structuram hujus societatis, et quidem breviter; præsertim quoad ultimam partem, quia de hac re etiam agitur in articulo sequenti; potestas enim est veluti forma societatis. Itaque in presenti articulo totum compositum seu materiam et formam per modum unius investigamus; in sequenti distributive haec clementia essentialia totius compliciti inspiciemus, loquendo directe de parte formali, sive de potestate, et indirecete nempe ob connexionem necessariam materię socialis cum forma, de parte materiali, sive de subditis. Jura enim et officia auctoritatis et multitudinis sunt correlativa.

§ I. De origine societatis civilis.

231. — Nonnulli juris interpres, præsertim protestantes, originem societatis ex quadam libera hominum conventione derivant, qui proinde statum civilem homini prorsus accidentalem esse decernunt; alii auctores rectius de hac re sentientes illam originem repetunt ex natura sociali ipsius homini et simul ex factis quibus instinctus politice ad actum rediguntur.

232. — I. *Primum sistema* fundatur in hypothesi eu-josdam primitivi *status naturæ*: juxta jurisperitos protestantes, homo primitus extra omne consortium ceterorum vitam debeat; sed cum singuli pares non essent tum propulsandis aliorum injuriis, rapinis, furtis, etc.; tum comparandis rebus omnibus ad vita sustentationem necessariis, ab aliis querere auxilium coacti sunt, et vicissim pollicere. Inde emerit pactum sociale, quod efficit et signat transitum e statu nature ad statum socialem.

Sed ille status naturæ primitivus etiam diverse accipitur a variis auctoribus; a quibusdam, inter quos eminent Hobbesius et Rousseau, habetur ut *status historicus* seu factum reale; secundum Puffendorfum, Grotium et alios, est mera *fictio juris* ad scientiam socialem requisita.

233. — *Hypothesis de statu naturæ fictilio sustineri nequit.*

Etiam 1^o id quod nunquam fuit, exhibetur ut causa ad explicandas relationes reales ordinis socialis sufficiens. Per meram enim abstractionem exoritur ordo realis physicus, et *fictiones* habentur ut principia absoluta et fundamentalia totius ordinis realis in societate politica. Porro quantum haec ratio philosophandi a veritate aberret, nemo est qui non videat.

2^o In hac hypothesis, jus sociale est ex toto fictitium, et constat relationibus arbitrio doctorum Protestantum confatis: non enim legitime erui potest ex principiis quod in ipsis non includitur. Atqui principia juris socialis, que sunt mere fictiones juris, non continent nisi quid fictitium ad jus aliquod in animo velphantasia effingendum spectans; ergo ex ipsis nonnisi consequentia fictitiae deduci possunt, et sic totum illud systema extra ordinem realem et veras rerum relationes evagatur.

3^o Ex confutatione alius hypothesis, haec prima etiam convelletur.

234. — *Hypothesis de statu naturæ historicio.* Hobbesius, in suo libro *De Cive*, statum naturæ tanquam *historicum* protulit, et probat, non, ut par esset, ex populus animalibus, sed a priori, mox et absurdio principio innixus. Extemplo enim asseverat genus humanum a civili consortio per se alienum esse, et hujuscemodi principii sequentem affert probationem :

Finis adequatus et norma agendi hominis in voluptate consistit, siquidem homo non nisi facultatibus sensibilibus ornatur; atqui voluptas, quam sit per se principium mere subjectivum, nonnisi ad egoismum adducit, quinimo ad bellum perpetuum allis omnibus indicendum continuo impellit; ergo status segregus est naturalis homini, qui proinde nonnisi causa externis, nempe molestiis allorum, qui ex insatiabilis pugna appetitu, quem egoismus parit, via sine intermissione inferunt, ad statum socialem aduci potuit.

Confutatur facilissime illud absurdum sistema : 1^o fundatur in falsis principiis tum de fine et norma agendi hominis, tum de natura humana, que sola sensitibilitate

constaret (II, 184, etc.); itaque totum molimen hoc basi labili innixum sustineri nequit.

2^o Pugnat sive cum historia, que nullum unquam vestigium hujus fucata status naturæ exhibuit, sive cum ipsa indole hominis, qui natura sua socialis est, ut postea probabimus.

235. — Rousseau eadem fere principia tenet, et statum naturalen hominis in vita solitaria et sylvestri reponit. Verum causa extrinsecas, quibus homo ad statum socialis adductus fuit, non ex injuris molestiisque aliorum hominum repetit somniator iste, sed easdem in perpetuo conficit cum bellis queritare maluit. Initio homo, eti perfectoribus quam cetera animalia organis instructus, tamen bellis longe infirmior et imbecillior existit; sed in suis assiduis bellis cum animalibus industrias istorum didicit, non secus ac nunc populus aliquis contra alium pugnans hujuscemodi artem strategiam comprehendit.

Itaque suis relationibus cum bestiis expeditius ac perfectus, homo ad statum perfecte sensibilis pervenit; deinde, post multa secula, rationis compos effectus, sua libertate uti dicit, quam ceteroquin, eti inerem, ante posse debat: ex ipsis libertatis usu emersit *contractus socialis*.

Falsitas hujus systematis, quod est partus imaginatio-nis aegritudine laborantis, tam evidens est ut pro homine quam minime cordato nulla indigeat confutatione; sufficit ergo ut animadvertemus illud manifesto pugnare cum historia, præterquam quod naturam rationalem hominis determinat: ex dictis in psychologia abunde confutatur.

236. — II. *Vera sententia et ratione consona societatem civilem repetit ex duplice elemento naturali, nempe 1^o ex natura sociali hominis, qui intrinsecus, seu ex propriis constitutivis ad hanc societatem ordinatur, et id jam docuit Aristoteles: 2^o ex factis etiam naturalibus quoq; societatem hominis ad actum reducent. Itaque societas non est opus artificialiter liberum, sed opus a natura ipsi intentum et positive præmonstratum. Hanc sententiam eu-clarere quod utramque, qua constat, partem expediet.*

237. — *THESIS I. Homo natura sua socialis est.*

Probatur 1^o Ex facto. Monumenta priscorum tem-

rum nihil aliud exhibent nisi hominem in societate tum domestica, tum civili viventem. Ergo quum illud factum constans et uniforme ori non possit nisi ex propensione naturæ, liquet hominem natura sua esse socialem.

2º *Ez facultate loquendi*. Proprium est hominis loqua ut; sed loqua est vinculum societatis. Ergo quum facultas loquendi sit homini congenita, fit ut ab ipsa natura homo ad statum socialem ordinetur.

3º *Ez naturæ indigentia et perfectibilitate hominis*. Homo ad evolutionem vite corporalis et spiritualis auxilio aliorum hominum diuturno et assiduo requirit, et educatione magis ac magis ejus facultates perficuntur, dum alia animalia cito ad propriam perfectionem deveniunt, et naturali instinctu ad necessaria vite ducuntur. Ergo homo natura sua ordinatur ad consortium cum aliis hominibus.

4º *Ez naturali hominis proclivitate ad communicandum cum aliis hominibus, tum in faustis eventibus, tum in ærumnis et penis. Est factum omnibus notum, et quidem propria experientia. Ergo...*

238. — *Scholium*. Hac socialitas hominis sese, quoad potest, evolvit: est vis que terminos sue actionis indefinite querit, et ejus limites alii non sunt nisi limites ipsiusmet cognitionis. Statim enim ac intelligentia possibiliter relationis socialis exhibet, hic instinctus socialitas relationes illas sponte naturæ appetit, quia non parti naturæ humanae alligatur, sed totam naturam afficit. Inde sola societas domestica non satiatur, si prasto sunt elementa societatis civilis. Quia de causa socialitas homini naturaliter indita per se ordinem dicit etiam ad societatem civilem.

239. — *THESIS II. Homo per factum propriæ existentia in societate universali seu humana quodam modo constituitur.*

Probatur. Homo, per existentia factum, naturam omnibus hominibus communem recipit, ac proinde omnes homines ad eundem finem ordinantur, et eidem legi naturæ subjacent; præterea homo facultate cognoscendi naturaliter ornatus, hunc communem finem, communemque legem naturæ vi existentia cognoscere potest.

Atqui societas, ut diximus, est consensio voluntatum et virium intuitu finis communis adipiscendi. Ergo, ex facto existentia, jam homo ad quamdam societatem universalem, saltem late et remote, ordinatur.

240. — *THESIS III. Factum naturale et primigenium, a quo societas civilis in concreto originem ducit, est ipsa familiarum ex eodem stipite propagatio (l).*

Nota. Hic non agitur de diversitate societatum civilium, seu de diversitate nationum et populorum, et de factis particularibus que istius diversitatis originem explicant; haec enim facta plerumque sunt accidentalia. In presenti ergo non quaeremus de causa diversitatis et multiplicitatis nationum, sed unice de societatis civilis, ut sic, origine, seu de facto quod per se necessario pullulet a natura respectu hujus societatis producende.

Probatur. 1º Ex historia, quæ hanc originem nationum exhibit, saltem quando circa illam notiones certas et exploratas tradere potest: historia sacra id clare ostendit expressis verbis referit circa antiquiores nationes.

2º Instinctus socialitatis, ut diximus, est vis nullis limitibus loci vel temporis clausa, quæ simul cum appetitu beatitudinis, novas et utiles associationes ipso nature pondere querit; porro societas domestica indigentia humanis non plene satisfacit, neque instinctus socialis exhaustire potest. Ergo sponte naturæ societas domestica ampliore evolutionem appetit, seu quendam ascensum ad societatem perfectiorem constitueret, que homini juvando et perficiendo plene suppetat.

Atqui hec naturalis appetitus amplioris societatis, debet evidenter adhaerescere propinquioribus elementis hujus societatis constitutae; sed propinquiora illi termini sunt affines et consanguinei pro ratione gradus, seu proxinitate vel distantia a communis stipite. Ergo...

3º Homo physice id habet commune cum omnibus animalibus quod instinctu quodam propagationis ducatur; moraliter alios homines staurum idealium participes redere cupit: sed 1º matrimonia, quæ sunt vinculum sociale,

(l) Liberatore, juss. soc. c. II.

contrahi solent inter familias viciniores, ac proinde ratione sanguinis propinquiores : perceptio sensilis nonnulli confort ad connubia contrahenda. 29 Haec idearum et impressionum communicatio nonnisi inter homines origine et loco propinquiores haberi potest. Itaque ex sua preclivitate physica et morali, homo impellitur ad novas relationes creandas cum familis vicinioribus. Ergo propagatio familiarum quæ terminos relationum socialium amplificat, communitas stipiti que familias propinquat et quodammodo commiscet, haberi debet ut factum natural, quod societati civili originem dat.

§ II. — De fine societatis civilis.

241. — Spectata origine societatis politicae, ad ejus finem indagandum migrare oportet, et quidem antequam de ejusdem structura eloquamur; finis enim est criterium quo de officiis et iuribus, et de ipsa natura societatis illius judicium ferre possumus.

Origo nonnisi obscure scopum societatis civilis ostendit, quia homines instinctu adducuntur ad hanc societatem, potiusquam ratione et reflexione. Verumtamen hypotheses circa originem consimilata systemata etiam inducent circa finem; inde nonnulli finem societatis reponunt, alii in tutela iurium et securitate interna et externa sociorum, alii, in copia bonorum exterorum, etc.

Kantius, et, post illum, Rationalistae fere omnes illum finem reposuerunt in *mutua coartatione et harmonia libertatis*. Ex stabilita ab ipso autonomia rationis (81) et voluntatis humana respectu cuiuslibet principii externi, statim concludit voluntatem ad operandum non infecti nisi per rationem, semotis impressionibus empiricis. Impressiones ejusmodi, juxta ipsum, sunt vel internæ vel externæ: internæ procedunt ab appetitu et affectibus animi, et constituent ambitum ordinis moralis; externæ, a quadam vi humana actionem nostram impediente, oriuntur, et constituent ordinem juridicum. Immunitas a prioribus est libertas interna aut moralis; immunitas ab haec coactione humana actiones nostras præpediente, est libertas externa seu juridica.

Jam vero haec ultima libertas, etsi per se limitibus careat, practice tamen debet limitari; nam simul est, et quidem sine limite, in omnibus hominibus, et nihilominus respicit idem objectum, nempe mundum visibilem; itaque in quocunque homine debet ita restringi et coartari haec libertas ut cum ipsa coexistere possit libertas aliorum: hinc principium, quod vocat *coexistentia*, ex quo status seu societas civilis emergit, ejus proinde finis nonnisi in mutua coartatione et libertatis harmonia sistere potest.

242. — *Confutatio sententia Kantiana.* 1º Principium in quo stabilitor totum illud sistema est falsum (81). Ergo et molinem superinde exterritum nullius roboris est.

2º Falsum est quod libertas externa per se caret limitibus, ut constat ex dictis de principiis directivis morum. Kantius enim, ut solet, confundit libertatem in abstracto spectatam et sine ulla determinatione subjecti, cum libertate reali, quæ in subiecto particulari residet: prior, que est universalis conceptus libertatis, abstractione facta modi quo est in Deo, vel angelis aut hominibus, est aliquo sensu illimitata, licet præscindere nequeat a regulis honestatis et justitiae; sed altera est evidenter ad mensuram ipsius subjecti, seu illis legibus moralibus determinatur et regitur quibus subiectum natura sua subditur.

3º Kantius scopum societatis politicae negativum reddit, qui ex toto consistenter in externa coartatione qua libertas in debitis limitibus continetur: quoicunque haec societas nullam virum conjunctionem afferat, nullum finem communem omnibus membris preservit, ut nihil dicam tum de atheismo legali inde exorto, tum de inferitu totius moralitatis publicæ proficisciens ex hac doctrina: suicidium enim, blasphemias, polygamiam, incestum, ote... dannare nequit haec societas, quia haec omnia libertati aliorum non detrahunt.

243. — *Thesis. Scopus politicae societatis in bonis exterioribus comparandis sisit, quatenus ad communem prosperitatem singulorum membrorum se referuat, et interno moralitatis ordine informantur.*

Probatur. Quoad triplicem qua constat partem.

Pars 1^a. Hic finis in bonis exterioribus comparandis

sistit. Scopus enim societatis civilis debet esse aliquod bonum actione externa et sensibili attingibile, quod vires naturales elementorum socialium collectum sumptus non prætergrediatur; atqui bona externa, seu generatim ordo exterior ac visibilis est aliquod bonum vires naturales hominis, saltem collectum sumptus, non excedens, quod proinde externa entis socialis operatione plus minusve perfecte procurari potest. Ergo.

Pars 2^a. Finis ille *in singulos socios redundet*, necesse est. 1^o Societas ad perfectionem suorum membrorum natura sua ordinatur; debet certo vogerere in commodum, non autem in detrimentum sociorum, secus socialitas esset instinctus naturae contra ipsum naturam, et collectio virium minus posset pro singulis quam vires individuales distributive sumpte, quod est absurdum. Itaque scopus societatis debet esse prosperitas singulorum membrorum.

2^o In societate vires uniuertunt et media communia adhucientur ut collectio bonum consequi possit, ad quod singuli homines seorsim sumptu se attollere non valerent; atqui bonum illud, cuius possessio est fructus actionis socialis, est bonum commune in concreto speciatum, seu quatenus adeptum, ac proinde aliiquid cuius singuli socii aliquo modo participes sunt. Ergo bonum quod est finis societatis civilis, debet aliquo modo ad singulos spectare.

Pars 3^a. Haec bona exteriora ad *normam ordinis moralis* determinari debent, seu ab illo ordine informari ne-cessesse habent: omnia media et omnes fines particulares ad finem ultimum directe vel indirecte se referre debent. Sed ordo moralis est positiva et adequata ordinatio ad finem ultimum; ergo omnia bona que non constituent finem ultimum, et quæcumque media ad illa obtinenda, directe vel indirecte referri debent ad ordinem moralem, eique obnoxia sunt.

Atqui societas civilis et ordo exterior quem procurat, certo non est finis ultimus hominis, sed rationem mediæ evidenter habet (227), ut alias constat ex superiori dictis: nihil pergere aut adhibere potest homo quod non referat aliquo modo ad suum finem ultimum (95). Itaque ordo ille exterior et bona externa quibus constat, sunt obnoxia

ordini morali, qui est interior et positiva ac immediata ordinatio ad finem ultimum (96).

§ III. — De economia interna seu de natura societatis civilis.

244. — Ex natura communi et ex sociabilitatis instinctu qui sese evolvere et diffundere indefinitè appetit, homo ad societatem ordinatur, et quidem ad universaliorum quæ possit haberi; homo sponte naturæ appetit transitum a societate domestica ad civilem; quamobrem, ut ostendimus, a domestica societate proficiscitur politica, quæ familiæ copulat et ipsa individua, mediante familia.

Societas enim amplior societates inferiores perficit; sed easdem destruere non debet, secus ad propriam ruinam et demolitionem laboraret.

245. — Non desunt tamen auctores qui societatem civilem immediate constare familiæ, et individui nonnisi mediate, nempe quatenus sunt elementa societatis domesticæ, iniciati sunt. Ita sentimus rationalistæ omnes, qui societatem civilem per *fictiones juris* ab arbitrio dissolvunt, et postea nullo etiam negotio redintegrant per consensum implicitum vel explicitum civium.

Sed hec doctrina est falsa 1^o quia homo nonnisi vi familiæ integratorem et perennitatem obtinet, ideoque strictiore et stabiliore vinculo cum societate domestica copulatur quam civili adhæret: ordo rationis, propensio sensibilis, præter processum originis, clare ostendunt hominem individualium prius familiae, deinde civitatem conjungi. 2^o Ipse conceptus familiae cum natura hominis intimiori modo coheret quam conceptus civitatis. 3^o Jura domesticæ anteriora et stabilioria sunt iuribus civilibus, ideoque societas politica nequit exhaustire aut immutare jura domestica. Ergo civitas jura hec subaudit, ac proinde inter se copulat ipsas familiæ: non posset immediate attingere individua, quin solvat jura domestica, quæ ab ipsa destruere aut immutari nequeant sine manifesta violatione juris naturalis.

246. — THESIS. Elementa essentialia societatis sunt multitudine et auctoritas.

Nota. Superior diximus quomodo sit intelligenda hæc

multitudo socialis. Hie praecondimus a distinctione elementorum in mediata et immediata, seu in individua et familiis.

Probatur. Societas, quæ persona moralis aut juridica appellari solet, necessario importat unitatem et multiplicatatem: sine unitate jam essent membra disjecta, non autem elementa ordinata ac copulata seu societas: sine multititudine, seu diversis sociis, manifesto non foret societas, siquidem absque multiplicitate non datur collectio. Atqui, si unitas non esset realis, seu in principio reali et concreto non fundaretur, ipsa societas realis et concreta non foret, sed abstracta seu possibilis remaneret: sine vinculo reali ac physico partes soluta perstarent. Ergo sine multititudine et auctoritate, societas nec esse nec conspicere potest.

247. — *Scholium.* Principium unitatis generativum inspectum dicitur *auctoritas*, que in se et abstracte spectata est *quidam complexus iurium*. Persona physica aut moralis quæ hisce iuribus utitur, *subjectum* potestatis appellatur.

248. — *THESSIS II. Potestas politica ad proprium commodum subjecti hujus potestatis non spectat, sed directe ad communum totius communitatis ordinatur.*

Nota. Hec thesis, et si sit fere evidens, debet tamen probari, propter plures negationes tam speculativas quam practicas.

Probatur. 1^o Potestas est principium quo vires sociales ita inter se coaptantur ut bonum commune a multitudine attingi possit: alias verbis, est id quo multa membra realiter et efficaciter unum quid efficiunt intuitu finis socialis assequendi.

Atqui finis socialis, seu bonum commune, est id cuius particeps effici debet ipsa multitudo associata, id est communitas, seu omnes et singuli.

Ergo non propter se, sed propter alios, constituitur potestas politica.

2^o Ratio existendi societatis civilis est adoptio, juxta leges moralitatis, bonorum externorum (241), ad quæ sola familia sibi relata pertingere non valeret; sed potes-

tas est medium efficax pervenienti ad possessionem boni communis. Ergo potestas non ad se, sed ad alios ordinatur, seu unice rationem medii habet.

249. — *Scholium.* Specialis dispositio elementorum socialium sub una potestate, seu modus quo potestas ad multititudinem essentialiter se habet, dicitur *constitutio politica*. Est analogia ex individuo physico desumpta, in quo per constitutionem intelligitur dispositio partium respectu totius. Congruenter huic conceptui generaliori, constitutionis nomine intelligi solent ea statuta scripta vel non scripta quibus aliquius societatis regimen ordinatur, sive 1^o respectu potestatis in se quoad ambitum et exercitium iurium quæ eidem competit illamque consti-tuent, sive 2^o respectu personarum, in quibus data potestas residet, seu quoad determinationem *subjecti* potestatis.

250. — *THESSIS III. Constitutio politica debet esse organica, non mechanica.*

Nota. *Mechanismus* est dispositio materiae inertis ad exsequendum motum; *organismus* est dispositura aut ordo partium peculiaris structura constantiam et actione propria fruuntur: v. g. *organismus* humanus. Itaque constitutio dicitur mechanica qua ad se accommodat sine discrimine elementa societatis; est organica quando e contrario variis et essentialibus elementis juxta propriam eorum naturam sese accommodat.

Probatur. Societas personis constat, quæ propriis iuribus et libertate gaudent, in societatibus particularibus coadunantur, (243) atque viribus unequalibus et intelligenti gradu diversis fruuntur; atqui constitutio mechanica, ut constat ex definitione, personas in res convertit, iura individualia et domestica destruit, libertatem necessariam ad proprie industrie propriique ingenii explicacionem tollit, dum in constitutione organica omnia elementa adhibentur juxta propriam cujusque naturam, nempe rationem organi particularis habent, seu secundum suam indolem, naturalemque ordinationem operantur in illo corpore morali, quod societas appellatur. Itaque ma-

nifestum est constitutionem politicam esse debere organicam.

251. — *Corollarium.* Ergo constitutio politica in qua individus et inferiores societates, praesertim domestica, omni motu spontaneo destituerentur, que proinde in summa potestate civili jura individualia et domestica contraheret, a jure naturali certo aversa esset.

ARTICULUS II.

De supra potestate politica.

Agemus de origine, natura et variis formis accidentibus supremæ potestatis politice.

§ I. — De origine supreme potestatis in societate civili.

252. — Omnia systemata circa hanc questionem ad tria reduci possunt, nempe 1^o ad contractum socialem; 2^o ad collationem divinam mediante concurso naturali et cooperatione hominis; 3^o ad doctrinam de directa et immediata collatione a Deo facta. Primum originem mere humanam et pacificam assignat eamque a iuribus individualibus ducit; secundum radicaliter a Deo, auctore naturæ, repeat supremam potestatem, proxime ab ipsa communitate; denique tertium originem divinam, sine speciali ac immediata cooperatione communitatæ.

253. — 1. *De contractu sociali.* Illud systema, quod est manifestus Protestantismi surculus, suarum deductionum fundamentum ponit in *statu naturæ* (230, etc.) a quo, ope nonnullorum pactorum, homo ad statum socialem transiret. Juxta Puffendorfum, hic transitus perfectetur per triplicem contractum: 1^o Civitas constitui debet, quod obtinet per *pactum unionis*. 2^o Forma regiminis postea determinatur, intercedente *decreto forma*; denique 3^o omnia membra civitatis se soliare debent parte, aut juxta plerosque, totalitate sue libertatis, quam cedunt communitatæ, ut potestas publica de facto inde constituantur: en *pactum subjectio[n]is*. Hæc proinde auctoritas, unice constat hac donatione facta a multitudine associata, seu a singulis de multitudine.

Alli auctores pactum formæ rejiciunt, quod in pacto subjectio[n]is includitur; imo Hobbesius unicum agnoscit contractum socialem, qui est *pactum renuntiationis* proprie voluntati in commodum voluntatis generalis, seu potestatis publicæ.

254. — Pacto sociali, unico aut triplici, semel peracto, loco persone cuiusque contrahentis, exsurgit corpus morale et collectivum tot constans membris, quot sunt contrahentes (1). Quamobrem potestas ipsa est voluntas generalis, et subjectum potestatis nihil aliud quam *organum* ejusdem voluntatis ab ipso communitatæ arbitrio constituentum: voluntates enim particulares, ope contractus socialis, e statu distributivo ad collectivum transeunt, quin tamen aliquid propriæ voluntatis amittant: libertas enim humana est essentialiter inalienabilis; ab alio exerceri commititur, sed nemini irrevocabiliter datur. Ergo potestas suprema, quæ est voluntas generalis, in populo, modo permanenti et imprescriptibili (2), residit.

255. — *THESSIS I. Theoria contractus socialis in se est absurdaria, et in suis consequentiis theoreticis et practicis subservientia totius ordinis socialis, et præseruum potestatis publicæ.*

Probatur 1^o pars. 1^o Haec absurditas jam patescit ex falsitate principiorum quibus innititur: 1^o Quid de statu naturæ primitivo sentiendum sit, jam ante diximus: fundamentum historicum systematis est evidenter falsum: 2^o Aliud principium est inalienabilitas libertatis humanae: « *Homines*, dicit art. 1^{us} declarationis 1789, *descuntur et manent liberi aqualesque ad iura quod attinet*. » Atquin in positione illius principii latet turpis equivocatio: 1^o libertas psychologæ seu physica certo est inalienabilis; sed haec libertas est dos interna de qua in presenti non agitur; 2^o libertas a coactione, que servitutis proprie dictæ opponitur, etiam alienari nequit, ut constat ex dictis (225); sed 3^o libertas quæ opponitur subjectio[n]i cibili certo potest alienari, siquidem haec alienatio nihil

(1) Rousseau, Contr. soc., I, 1, ch. 5.

(2) Art. 3, de la Déclaration des droits de l'homme.

aliud est quam subjectio ipsi rationi : quod postulat ordo naturæ. Atqui de hac ultima dumtaxat loquuntur adversarii, qui huic dotes aliarum specierum libertatis inepte adscribunt.

Ergo illud principium contractus socialis, quod in patienti confusione inter libertatem psychologicam et libertatem civilem enascitur, et utramque permisit, attributa unius alii tribuendo, est evidenter falsum.

3º *Æqualitas absoluta omnium hominum* aliud est deliramentum ; nam in adversariu[m] mente, agitur, non de æqualitate specifica et abstracta qua ad identitatem nature et finis revocatur, sed de æqualitate individuali, de qua unice sermonem instituunt : id sufficienter constat ex dictis, et alias res est ab omnibus nota ; hic ergo nova etiam repertior confusio et equivocatio inter res plane distinctas, nempe inter notionem abstractam hominis generationis inspecti, et hominem particularem pro suis conditionibus individuantibus spectatum : homines quoad solam naturam specifici evidentes sunt æquales siquidem natura humana est specifica una : quoad conditiones individuales non minus aperie liquet homines esse inæquales, etiam ad jura individualia quod attinet, quorum alii sunt innata et alia acquisita.

II. Absurditas patet etiam *ex contradictionibus* : 1º Ad libertatem servandam medium invehitur libertati maxime infensum : nempe spoliatio omnium iurium ad potestatem publicam constituantam. Etenim si realis est hec potestas, jura in se habet et retinet, ac proinde apud socios libertas abstracta et possibilis remanet (seu acquirendā aut recuperanda) : sed realis nulla est, secus potestas non realis esset neque realiter exerceretur.

2º Libertas individualis est inalienabilis, et tamen iusceps alienatio est fundamentum contractus socialis. Omnia iura potestati cedunt socii, et tamen hec omnia incolumia servant. Ad hec pugnantias inter se compendenda, defensores illius insulsa hypothesis *fictiones juris* advocant, ac populo libertatem fictitiam aut principi potestatem more nominalē assignant.

Sed agitur de re ipsa, minime vero de mentis abstractionibus.

Probatur 2a pars. 1º Illa theoria ordinem socialem solvit ab ordine morali et ab ipsa Dei supraestate potestate, siquidem fons omnium iurium et officiorum est sola libera voluntas populi : singula enim membra, juxta Hobbesium et rigidiores, propriam voluntatem penitus abdicarunt, ut postea leges omnes accipiant a potestate civili, seu a voluntate generali ; hec proinde voluntas est regula independens et suprema justi et injusti. Ergo ordinem moralem et religiosum plane extinguit illud sistema, quod tantum moralitas fontem et unicam ordinis etiam religiosi regulam in consensu populari collocat.

2º Per se dicit, et quidem violenter, ad communismum, seu ad destructionem ejuscumque diversitatis in conditionibus socialibus. Etenim perfectam docet æqualitatem inter cives, quas obtineri nequit quoniam diversitas conditionis tollatur. Preterea cum hominem ab omni lego morali, ac proinde a quovis freno interius crescentem regulat, semper licitum erit civi hanc æqualitatem repetere.

3º Potestatem publicam in concreto spectatam semper nutantem reddit, et omnibus perturbationibus politici indulget. Subjectum enim potestatis supreme est ad nutum revocabile, et semper civium voluntati obnoxium ; mandatum ipsi collatum est semper rescisorium, quia potestas est modo inalienabili et imprescriptibili penes populum. Ergo persona physica aut moralis quis mandatum a populo accepit gubernandi rempublicam, potest semper et quotidie, et quovis medio, potestate politica privari. Et id expressis verbis plures docuerunt (1).

256. — Scholium. Hæc theoria, quod mirum videretur si extrema opposita non sese conjungere solerent, ad tyrannidem omnino incredibilem ducit. Cum subjectum aliquod hujus potestatis constituitur, si auctoritatem sic definitam ad se arriperet, jam arbitrio supremo foret ejuscumque justitiae et aquitatis. Quilibet actus istius modi regnatoris, seu iussio, qua talis, esset norma justitiae et aquitatis, quantumvis sit prava. Et hanc conclusionem jam expressis verbis eruit Hobbesius dicens : « Summos imperantes peccare non posse, neque cum ratione unquam

(1) Siccyl. *Qu'est-ce que le Tiers-Etat?* p. 116.

culpandos. » Quare mirum non est quod aliqui dominatores dolosi et nihil pensi habentes huic doctrine faveant.

257. — THESIS II. *Illiud sistema originem duxit a protestantismo, cuius est mera applicatio ordinis politico.*

Probatur. 1^o *Historia juris* id ostendit, quia auctores protestantes hanc theoriam cuderunt, aut certo principia hinc inde sparsa in aliquod corpus doctrinae redegerunt. Grotius in suo tractatu de jure belli et pacis semina hujus theoriarum jecit, et haec principia Puffendorfius et Bohe-merius in Germania evoluerunt, in Gallia, Rousseau et tota secta philosophica seculi XVIII. Ipse Hobbesius ait: « Scientia socialis antiquior non est libro quem de civi conscripsi. » Itaque de origine historica constat: statim post Reformationem apparuit haec theoria, et a legislatis Protestantibus primitus propagata fuit.

2^o *Connexionem logicam* theorie contractus socialis cum dogmatibus Protestantismi endotatis explicare ad specialem tractationem juris publici praeferimus spectaret (1). Sed connexione haec est adeo obvia, ut ad eam ostendendam sufficiat monere: 1^o principium fundamente Reformationis esse famosam illam *libertatem christianam*, ut ait, nempe autonomiam absolutam rationis individualis in rebus religiosis per solam Scripturam ad exclusionem cuiuslibet potestatis directiva, dum principium primordiale contractus socialis est *libertas absoluta* ac plena independencia cuiusque hominis, inde et *equalitas perfecta* inter omnes homines:

2^o *Potestatem supremam* in rebus fidei et morum discernendis, seu in ordine religioso, esse quemlibet privatum credentem, docent omnes sectae protestantes dum potestas suprema in ordine politico, iuxta theoriam quam impugnamus, penes ipsos cives, seu multitudinem, inalienabiliter resideret. Ergo analogiam nemo non videt, et exinde liquet theoriā contractus socialis esse meram applicationem Protestantismi religiosi ordinis civili et politico: ex utraque parte suprema potestas directiva est

(1) Vide *Principes du droit public*: De la société civile, sect. 1^o c. 1.
art. 1.

apud singula membra uniuscuiusque societatis, aut ex ipsis oritur.

258. — II. *Systema Scholasticorum.* Non pauci auctores incauti confundunt doctrinam communem scholasticorum cum contractu sociali; sed datur discrīmen essentiale inter utrumque systema. Scholastici, et speciatim Suarez docent: 1^o *Quoad originem*, supremam potestatem, in se spectatam, venire a Deo ut auctore naturae: porro id nomine docte superioris systema, quod omnem potestatem ab homine repebit.

2^o *Quoad modum* quo a Deo conferatur, haec potestas datur, non per specialem actionem vel concessionem a creatione distinctam, sed per modum proprietatis consequentis naturam, nempe medio dictamine rationis naturalis, ostendendam Deum dedisse hominibus potestatem ad suam conservationem et convenientem gubernationem, necessariam.

3^o *Quoad tempus* quo datur, haec potestas non resultat in natura humana donec homines in unam perfectam communitatem congregentur et politice uniantur, siquidem non est in singulis hominibus divisim sumpvis, nec in collectione vel multitudine eorum quasi confusae et sine unione membrorum in unum corpus: sed dum, unitis voluntatibus et viribus familiarium plurim, constituit hoc corpus politicum, statim in illo est potestas. Itaque eo ipso quod corpus politicum materialiter, ut ita dicam, producitur, formaliter potestatem sortitur, non secus ac per generationem filius sortitur intellectum et voluntatem, et si parentes de hac re nullam specialem voluntatem habeant, sed tantum voluntatem generandi. Requiritur voluntas hominum ut perfectam communitatem complicant, non autem voluntas constitundi potestatem, que a Deo est indita eo ipso quod materia est apta ad ilam recipientiam.

4^o *De subiecto*: licet haec potestas sit veluti proprietas naturalis perfectae communitatatis, ut talis est, tamen in ea non est *inmutabilitas*; sed per consensum ipsiusmet communitatatis, vel per aliam justam viam, potest transferri. « Communitas, inquit Suarez, potest se illa spoliare, si velit, » et tune transit tota haec potestas tum quoad se tum

quoad exercitium in principem. Porro contrarium docet contractus socialis.

250. — Cardo totius systematis scholasticorum, quatenus illud a tertio inferius explicando distinguitur, potest ita concipi : « Potestas civilis, inquit Suarez, quoties in uno homine, vel principe reperitur, legitimus ac ordinario jure, a populo et communitate manavit, vel proxime vel remote, nec potest alter haberi, ut justa sit (1). »

Id probat Suarez 1^o quia potestas ex natura rei est immediate in communitate, siquidem ipsa leges naturae omnes homines nascuntur liberi, et ideo nullus habet iurisdictionem politicanam in alium : potestas enim paterna est mere economica, non autem politica (2).

2^o Quia haec potestas facta ac temere haberetur ut superne data regibus ac immediate per revelationem ; porro omnes reliqui tituli regiae potestatis per accuratam analysis revocantur ad collationem primitus a communitate factam.

Hec omnia enodatus explicabimus, tertia sententia relata et pertractata.

260. — III. Theoria de jure divino, quia nempe a Deo ipso, auctore gratiae vel naturae, per directam collationem ipsi principi, id est, personae singulari, repetit potestatis politicas originem. Sed haec sententia non una et uniformis est apud autores qui illam tenuerunt : tamen generatim opponitur contractui sociali.

Protestant enim theoria nihil Deo tribuit in supra potestate politica constituta; cui systemati ex adverso opponitur sententia que *Doctrina de jure divino* appellari solet. 1^o Si doctrina haec in sensu lato sumeretur, nempe in quantum potestati supremae originem divinam assignat, a nullo catholicus posset negari : nam est verissima et indubie revelata : inde nemo qui sanam fidem retinere caput, eam inficias ire potest : *Non est potestas nisi a Deo*, inquit S. Paulus. In hoc sensu doctrina scholasticorum ad presentem sententiam revocaretur.

2^o Verum sub hoc nomine communius intelligitur doc-

(1) De leg. l. m. c. 4, n. 2.

(2) Loco cit. 41.

trina quae hanc originem directe et immediate in tali subiecto a Deo, ut auctore naturae, repetit, uti, v. g., potestas paterna in filium, ac proinde prout excludit delegationem a multitudine factam, sive tanquam causam efficientem adaequatam, sive tanquam causam instrumentalem, aut conditionem sine qua non : quo sensu apud catholicos libere controverteritur.

Itaque in hac doctrina distinguere oportet *rem ipsum*, *fontem assignatum* et *modum* quo suprema potestas politica venti a Deo ; *quoad rem*, seu ipsum dogma fundamentale, haec sententia est verissima : *omnis potestas est a Deo*; *quoad modum* vero explicandi factum concessoris, sunt iterum plures sententiae plus minusve probabiles.

3^o In vulgari sensu adversariorum fraudulentorum hujus sententie, per doctrinam de jure divino unice venient illud sistema quod per actionem Dei speciale, directam et extra ordinem naturae, suprema potestatis originem explicaret : et quidem hanc sententiam revera tenerunt plures autores, alii perverse ut Marcius Pavatinus, Giannoni, etc., qui potestatem Pontificiam potestatis civili subjiciebantur; alii, v. g., Josephiste, Gallicani veteres, quibus favent Bossuet, Tournely, ut mutuam independentem utriusque potestatis, civilis scilicet et ecclesiasticae, vindicarent, alii denique, sine respectu habito ad potestatem sacerdotalem.

261. — THESIS I. *Suprema potestas politica per se spectata a Deo procedit.*

Nota. Probationes theologicae sunt in promptu posita, nam in Scripturis multa reperiuntur testimonia disertissima et minime ambiguia. Sed philosophicis probationibus thesis perfacile conficitur.

Probatur I. Societas civilis, ut constat ex probatis, non est pactitia sed naturalis (230, etc.); homo enim natura sua ad hanc societatem ordinatur; sed Deus est auctor naturae, ac proinde hujus ordinacionis. Ergo est auctor eius omnis quod est naturale in societate civili. Atqui societas civilis sine potestate nequit esse nec concepi, quem potestas sit pars formalis ipsius. Ergo si hinc societas est

a Deo, necesse habetur ut ipsa potestas publica sit etiam aliquo modo a Deo.

II. Potestas suprema iure vitae et mortis in subditos potita est, et facultate obligandi in conscientia; vox totius generis humani, quæ fallax esse nequit (I, 213), talem facultatem principibus assignat, qui ceteroquin illam semper exercerentur: atqui jus vitae et mortis et potestas ligandi in conscientia ab hominibus certo non venit (165, 177). Ergo necesse est suprema potestas sit a Deo.

262. — *Scholium.* Vim hujus probationis, fateor, ex parte declinant multi fautores contractus socialis, qui societati jus denegant infidigandi ponam capitem, quæ tamen aliquando est unicum medium resarcendi et servandi ordinem socialem, ob truculentam feritatem quorundam hominum; sed illi auctores manifeste opponuntur toti generi humano, ac proinde non sunt audiendi.

263. — *THESIS II.* Deus, generaliter loquendo, non confert, per specialem actionem ab ordine naturæ diversam, supremam potestatem alicui subiecto.

Nota. In hac re distinguendum est inter potestatem ipsam et subiectum hujus potestatis, seu eum qui potestate instructus est eaque utitur. De ipsa potestate locuti sumus in superiori thesi; nunc de modo quo transit in subiectum agemus.

Probatur. I^o Si talis esset modus constituendi aliquem in regem aut supremum imperantem, de tali concessione constare deberet per revelationem, ac proinde principes et nationes hanc actionem Dei supernaturalem certo cognoscere: agitur etiam de facto publico, illustri et quotidie iterato. Atqui, excepto populo Israelitico, nullum vestigium hujus modi revelationis aut collationis reperitur. Ergo...

I^o Societas politica ex una parte est ordinis naturalis, uti probavimus, et ex altera non potest concepi nec esse sine subiecto supremæ potestatis, quæ est pars formalis et constitutiva civitatis; atqui si supernaturali modo subiectum illud constitueretur a Deo, jam haec pars formalis supernaturalis esset quoad modum (148), non autem natu-

ralis, et exinde societas illa non esset ordinis mere naturalis, quod est falsum. Ergo...

264. — *Scholium.* I^o Bossuet, in sua *Politica sacra*, sentire videtur modum eligendi reges apud populum Israelicum esse universalem et omnibus nationibus communem: arguit etiam ex facto consecrationis Hazaels in regem Syriae per ministerium alicuius prophetæ a Deo missi. Sed huius difficultati jam occurrit Suarez; « hæc facta, inquit, fuerunt extraordianaria et supernaturalia quoad modum; juxta communem autem et ordinariam providentiam non ita fit, quia homines juxta nature ordinem, non revelationibus, sed naturali ratione reguntur in his quæ civilia sunt. »

Scholium II. In sequenti capite de societate religiosa, ostendemus originem potestatis ecclesiasticae esse diversam ab origine potestatis politicæ, et ideo præsentem themis uberioris probabimus.

265. — *Corollarium.* Juxta auctores, de hac re rectius loquentes, supremæ potestas in concreto spectata, a Deo procedit, ut auctore nature, siquidem, ut constat ex dictis, societas est factum naturale; porro cullibet societati reali sive in fiori sive in facto esse spectatae, præcessu debet potestas, quæ in persona physice vel moraliter una residet.

Jam ipse Suarez fatetur sententiam quæ doceat auctoritatem in concreto, ac proinde prout in est, non modo toti communitatii, sed etiam peculiari subiecto, esse immediate a Deo, communem esse: « In hac re communis sententia videtur esse, hanc potestatem dari immediate a Deo ut auctore nature, ut homines quasi disponant materiam et efficiant subiectum capax hujus potestatis: Deus autem quasi tribuat formam dando hanc potestatem... Sicut in matrimonio recte colligimus virum esse caput mulieris ex dono ipsius auctoris nature et non ex voluntate uxoris, quia licet ipsi matrimonium contrahant, tamen, si matrimonium contrahant, hanc superioritatem impeditre non possunt (I). » Licet directe loquatur de multitudine ut materia capacie potestatis, tamen verba intelligi possunt universim de potestate in concreto.

(1) Suarez, De leg. l. III, c. 3, n. 2.

266. — THESIS III. « Causa que primitus subjectum politicæ potestatis determinat, per se est prævalentia præexistentis juris domestici, per accidentem vero est consensus (1). »

Nota. 1º Hanc sententiam non ambigue proposuit S. Thomas : « Regimen regis, inquit, super civitatem et gentem processit a regimine antiquioris in domo vel vico (2). »

Nota. 2º Ab hac sententia, meo iudicio, non valde discrepant de Haller et Taparelli : prior causam adæquatam determinationis subjecti videt in tripli suprematia naturali *Patris, Heri et Doctoris*; alter in facultate que exclusive aliqui competenter ducenti societatem ad finem. In hac thesi causam primigeniem declaramus, sine tamen exclusione aliarum quo potiori essent superaddita.

Probatur 1^a pars, nempe causam per se reperiri in jure domestico præexistente.

1º Id iam resultat ut corollarium ex dictis de origine societatis. Etenim si origo societatis est propagatio familiarium ex eodem stipite, si gradatim ac natura cursu succrescit ex societate domestica, si non repentinio concurso voluntatum, antea nullo vinculo sociali inter se copularum, coagmentatur, jam liquet 1^a auctoritatem seu vim que partes conjungit ad novum corpus morale efformandum, ipsi coagmentationi aliquo modo praesesse debere in ratione auctoritatis, 2º potestatem illam, non ex voluntatis socrorum facto exsurgere, sed natura ipsa duce, patri seu communis stipiti fonti devolutam esse, quod historia cæteroque confirmat. Ergo, licet potestas politica sit in se diversa a potestate economica et patria capitis familie, tamen haec potestas patriæ est aptitudine naturalis ac prolusio ad potestatem politicam.

2º Potestas politica nihil est aliud quam jus ponendi ordinem in multitudine, et officium providendi bono communis; porro potestas paterna hoc iure fruatur et illo officio tenetur erga propriam familiam, ac proinde haec secunda

(1) Liberatore, Jus soc. c. 111.

(2) In 1. Politicorum I. 4.

potestas priori consimilis est; atqui dum familiae successant ac dilatantur ita ut consortium politicum efforment, potestas paterna in ipsis non inde destruitur; si igitur, multiplicatis familias, remaneret communis illarum stipes, potestas paterna, quidquid sit de intima ejus natura, ita augeretur et extenderetur ut velut naturaliter transeat in potestatem politicam. Ergo causa que primitus determinat subjectum potestatis politice est prævalentis præexistentis juris domestici.

Probatur 2^a pars, nempe consensus esse causam per accidentem.

1º Si causa *per se* est jus paternum, jam consensus non nisi causam per accidentem esse potest.

2º Origio societatis non est artificialis (230, etc.) neque supernaturalis (235, etc.) ac proinde est mere naturalis, ideoque potestas concreta, quae est formale principium societatis, est naturalis. Sed consensus non est elementum naturale societatis, siquidem est quid arbitrarium, penitus liberum atque indeterminatum quod hunc vel illum terminum. Ergo nonnisi per accidentem esse potest causa que determinat supremam potestatem.

267. — *Scholium.* In societatis jam constitutis contingere potest ut, deficiente subjecto legitimo principatus, consensus sit medium unicum hic et nunc determinandi subjectum supremæ potestatis, nempe supremam potestatem in concreto. Dicimus « deficiente subjecto legitimo », nam agitur de subjecto quod « *jus* » habet ad supremam potestatem, quidquid sit de actuali possessione, que potest injuste detineri ab usurpatore. Consensus non est medium legitimam determinandi subjectum supremæ auctoritatis politicae, nisi *jus a nemine retineatur*. Sed hic agitur tantum de subjecto *primigenio*.

268. — *De translatione supremæ potestatis.* Potestas suprema semel addepta potest triplici modo de uno subjecto in aliud legitime transferri, nempe 1º hereditate, 2º electione, 3º iure victorie in bello justo, non autem in latrocino. Prioris modo a legibus fundamentalibus determinari possunt, quibus tunc nemini derogare fas est: conditiones ergo particulares constituere tum hereditatis, tum electionis pertinent ad *jus positivum*. Tamen notan-

dum est quod haereditas publicae utilitati magis conductus, nam materia subtrahitur discordiarum, quas dominandi libido excitaret, et futurus rex a teneris annis ad regium munus et officium eruditur (1).

De tertio titulo regiae potestatis, seu de jure victoria nonnulla advertemus: 1^o Quando regnum per solam vim injustam possidetur, evidenter non est vera potesta in rege. Verumtamen in illo casu salus populi expostulat ut usurpatorum iurum possit civitatem moderari, magistratus temporiorum constitui et leges ferre, quibus subditis obtemperare tenetur; illud jus certo non est *personalis*, sed *reale*, id est, persona competit solummodo ratione rei seu boni publici; tunc enim verificatur adagium: *salus publica suprema lex*.

Sed 2^o fieri potest ut successu temporis novus autoritatis possessor ita obfirmetur, ut pristinus ordo redintegrari non possit sine maxima perturbatione et salutis publicae periculo. Tunc hic Victor *exclusice possidet media ducendi societatem illam ad debitum finem*, ac proinde nemo ei quodlibet jus opponere potest; nec plebi fas est obsistere, quia ex hypothesis sum propriam pericli querareret; nec *antiquiori principi*, quia propria utilitatem prosequeretur contra bonum publicum, et hoc esset illicitum et injustum.

Prateret 3^o qui docent potestatem supremam a communitate proficiunt, ratum habent titulum regiae potestatis qui bello justo constat, quando populus consentit et admittit talum principem: « tunc reducitur potesta, ait Suarez, ad populi traditionem et donationem (2). »

269. — Hic per modum corollarii, quare posset *allicet insurgere in Principem si tyrannica imperet*, nempe si non ad publicam, sed ad privatam utilitatem, administrat: agitur ergo tantum de Principe qui jure imperium adeptus est, sed eujus tyrannis ferri non posset. Resp. Negative contra plures non tantum ethnicos et rationalistas, sed etiam christianos, v. g. Almainum. Constat ex art. 17 Wiclefi damnato; deinde ex autori-

tate d. Thom. vel auctoris opusculi *de Reg. prim.* c. 6. Ratio est quia non licet privatis civibus aut universo populo insurgere in Principem absolutum, etsi tyrannum, nisi habeat potestatem illum judicandi; atqui in regimine absoluto nec singuli cives nee populus talam potestatem habet, sive ordinariam, secus potestas non esset a Deo, neque delegatam, quae necessario descederet vel ab ipso Principi vel a Deo (1). Igitur Ecclesia sola potest iudicium ferre in hoc casu, ut potestatem habens ordinis superioris. Tamen non tenenter subditi observare leges manifeste injustas: et sic populus posset, etiam vi adhibita, omnibus actibus principis evidenter injustis obsecrare: v. g. Si princeps penitus adhibitus, juberet violatio nem legis naturalis vel divinae positivæ.

S II. — De natura suprae potestatis.

270. — Per naturam stricto sensu sumptum intelligimus ipsam essentiam, quatenus est principium operationum vitalium (1, 276); natura ergo habetur ut fons totius activitatis, itaque optime determinatur per facultates, quae sunt principia immediata operationum. Ergo naturam supreme potestatis, quae est fons activitatis socialis, determinare oportet per principia immediata et necessaria quibus operatur, nempe per suas diversas facultates seu *functions*.

Jam vero ut potestas suum finem obtinere possit, debet per suas facultates naturali activitati homini aadequate respondere: par enim esse debet ad attingendum finem societatis complete (109). Necesse est igitur 1^o ut ordinem producat in elementis socialibus, nempe ut ipsa suum modum essendi et existendi accipiat; et causa quae hunc modum producit ac determinat, vocari solet *potestas constitutiva*; 2^o debet omnibus media ad finem idonea ostendere et imponere: hinc *potestas legislativa*; 3^o debet efficaciter executionem mediorum facultate legislativa ostensorum procurare: hinc *potestas executiva*. Potestas constitutiva in societate ipsis viis in individuo physico

(1) Vide *Principes du droit public*, sect. 3^e c. 2.

(2) De leg. l. iii. c. 4.

(1) Roselli, *Compend. phil.* p. 4^a q. 13, a. 5.

respondet; potestas legislativa intellectui et voluntati, seu parti intellectuali; potestas executiva, facultatibus vim movendi habentibus. Inde toti activitatii humanae respondet (1).

I. De potestate quatenus constitutiva societas.

271. — Modus fundamentalis quo diversa elementa ad unitatem rediguntur, seu medium quo ipsa unitas organica obtinetur, generatim appellatur *constitutio* societatis; est ergo veluti substantialis forma societatis. At hac constitutio, quatenus concipiatur non abstracta, seu relictio principio a quo progreditur, sed in concreto, videlicet quatenus est facultas rempublicam ordinandi, seu vis que formam praestat toti corpori sociali, organa essentialia auctoritatis supremae, puta formam condendi leges veluti plasmata, est *potestas constitutiva*. Consistit ergo in peculiari dispositione potestatis legislativae cum suis functionibus particularibus, et potestatis executivae cum suis elementis necessariis, nempe potestate judicataria et coercitiva.

Potestas constituens anterior est logice potestate legislativa et executiva; esse enim concipiatur ante operationem; differt etiam ab aia, quatenus per propriam et liberam voluntatem subjectum supremas potestatis leges fert et exsequitur, dum jus constitutus magna ex parte non pendet a libera voluntate auctoritatis civilis: assimilari enim posset vi vegetativa in corpore humano, qua vis intrinseca, ope agentium exterorum, debitam molem et formam impertitur huic corpori. Quapropter vis constitutiva, non eodem omnino sensu dicitur potestas, atque potestas legislativa et executiva, neque rigorose ab illis facultatibus supremae auctoritatis contradistinguitur.

272. — Potestas constituens nonnullis legibus physicas et moralibus obnoxia est seu potius quibusdam legibus libertatem humanam praverintibus constat. Hoc sedulo notandum est, nostris praserit temporibus, in quibus constitutiones scriptae copiose pullulant cum maximo detrimento societatis politicae.

(1) Vide *Principes du droit public*, sect. II, c. 1.

I^o. *Leges physicae* omnia facta naturalia aut accidentalia, necessaria aut libera, interna vel externa, complectuntur, quibus talis natio in suo esse politico constituitur: facta interna jam sunt adeo numerosa, disparata et improvisa, ut nulla vis humana ea possit pro arbitrio moderari et coercere: facta externa, nempe ab actione aliarum nationum et a jure internationali enascentia, potestatem constituentem potius regunt quam ab ipsa reguntur: gradum sub influxu illorum factorum succrescit forma constitutiva alicuius societatis.

Ergo leges physicae quibus potestas politica, in concreto spectata, talem formam accepit, a speciali Dei providentia maximopere pendet, et complexim spectata actionem liberam hominis penitus fugiunt.

II. *Lez moralis* primaria potestatis constituentis, si lex appellari potest, est ipsa acceptatio legis fundamentalis, quae est velut *resultatio* omnium legum physicarum, et prosecutio finis socialis secundum hanc legem.

Lex vero fundamentalis potestatis constituentis est prosecutio unitatis intellectualis, moralis et politice, applicando leges aeternas iustitiae et humanitatis factis particularibus quea ad tales nationem constituendam concurrunt; unio intelligentiarum in veritate; unio voluntatum, seu moralis in iustitia et prosecutione boni communis; unio politica, seu personarum, et unio materialis in harmonica dispositione omnium functionum politicarum.

Ex dictis infertur alia lex moralis: immutatio in aliqua parte vere essentiali constitutionis fieri nequit a supremo imperante, saltem sine consensu multitudinis, scilicet alterius elementi hujusce societatis; aliter dicendum est, si ageretur de aliqua perfectione in organis, seu partibus accidentalibus, introducenda.

II. De potestate legislativa.

273. — Potestas legislativa est potestas proponendi obligatorio modo que ad societatis finem sunt necessaria.

Potest evidenter auctoritas suprema ferre leges et adi gere omnes subditos ad illarum legum executionem.